

Pétrarque avait adopté une graphie originale du latin, qui peut dérouter. Pour des raisons techniques, la graphie traditionnelle a dû être rétablie.

PARTHENIAS

SILVIUS

B1 v.1 Monice, tranquillo solus tibi conditus antro,
 2 Et gregis et ruris potuisti spernere curas ;
 3 ast ego dumosos colles silvasque pererro,
 4 infelix ! Quis fata neget diversa gemellis ?
 5 Una fuit genitrix ; at spes non una sepulcri !

MONICUS

6 Silvi, quid quereris ? Cuntorum vera laborum
 7 ipse tibi causa es. Quis te per devia cogit ?
 8 Quis vel inaccessum tanto sudore cacumen
 9 montis adire jubet, vel per deserta vagari
 10 muscososque situ scopulos fontesque sonantes ?

SILVIUS

11 Hei mihi ! Solus Amor. Sic me venerata benigne
 12 aspiciat, spes nostra, Pales. Dulcissimus olim
 13 Parthenias mihi, jam puero cantare solebat
 14 hic ubi Benacus, vitrea pulcherrimus alvo
 15 persimilem natum fundit sibi. Venerat aetas
 16 fortior ; audebam nullo duce jam per opacum
 17 ire nemus, nec lustra feris habitata timebam ;
 18 mutatamque novo frangebam carmine vocem
 19 aemulus, et famae dulcedine tactus inani :
 20 ecce peregrinis generosus pastor ab oris,
 21 nescio qua de valle, canens nec murmure nostro,
 22 percussit flexitque animum ; mox omnia cepi
 23 temnere, mox solis numeris et carmine pasci.
 24 Paulatim crescebat amor ; quid multa ? Canendo
 25 quod prius audieram didici, musisque coactis,
 26 quo mihi Parthenias biberet de fonte notavi.
 27 Nec minus est ideo cultus mihi ; magnus uterque,
 28 dignus uterque coli, pulchra quoque dignus amica.
 29 Hos ego cantantes sequor et divellere memet
 30 nec scio, nec valeo ; mirorque quod horrida nondum
 31 silva, nec aerii ceperunt currere montes.
 32 Verum ubi jam videor collectis viribus olim
 33 posse aliquid, soleo de vertice montis ad imas
 34 ferre gradum valles ; ibi fons mihi saepe canenti
 35 plaudit, et arentes respondent undique cautes.
 36 Vox mea non ideo grata est mihi, carmina quanquam
 37 laudibus interdum tollant ad sidera Nymphae.
 38 Dum memini quid noster agat, quidve advena pastor,

39 uror et in montes flammata mente revertor.
 40 Sic eo, sic redeo. Nitar, si forte Camenae
 41 dulce aliquid dictare velint quod collibus altis
 42 et mihi complaceat, quod lucidus approbet aether ;
 43 non raucae leve murmur aquae, nec cura, nec ardor
 44 defuerint. Si fata viam et mens tarda negarit,
 45 stat, germane, mori. Nostrorum haec summa laborum.

MONICUS

46 O ! si forte queas durum hoc transcendere limen !
 47 Quid refugis, turpesque casas et tuta pavescis
 48 otia ? Quid frontem obducis ? Nemo antra coactus
 49 nostra petit ; plures redeunt a limine frustra.

SILVIUS

50 Non pavor hic animi fuerat ; si forsitan aures
 51 dulcibus assuetas inamoena silentia tangunt,
 52 miraris ? Natura quidem fit longior usus.

MONICUS

53 O ! iterum breve si mecum traducere tempus
 54 contingat sileatque fragor rerumque tumultus,
 55 dulcius hic quanto media sub nocte videbis
 56 psallere pastorem ! Reliquorum obliviam sensim
 57 ingeret ille tibi ; non carmen inane negabis,
 58 quod modo sollicitat, quod te suspendit hiantem.

SILVIUS

59 Quis, quaeso, aut quonam genitus sub sidere pastor
 60 hoc queat ? Audivi pastorum carmina mille,
 61 mille modos ; quemquam nostris aequare caveto.

MONICUS

62 Audisti quo monte duo fons unicus edit
 63 flumina ? Sive ubinam geminis ex fontibus unum
 64 flumen aquas sacrumque caput cum nomine sumit ?

SILVIUS

65 Audivi ut quondam puer hispidus ille nitentis
 66 lavit Apollineos ad ripam gurgitis artus.
 67 Felices lymphae quae corpus tangere tanti
 68 promeruerunt dei ! Fluviis, si vera loquuntur,
 69 per cinerum campos ultricibus incidit undis.

MONICUS

70 Hunc igitur, dulci mulcentem sidera cantu,
 71 illa tulit tellus ; licet experiare, juvabit.

SILVIUS

72 O ! ego novi hominem. Cives et moenia parvae
 73 saepe Ierosolymae memorat, nec vertitur inde ;
 74 semper habet lacrimas et pectore raucus anhelat.
 75 Hi Romam Trojamque canunt et proelia regum,
 76 Quid dolor et quid amor possit, quidve impetus ire,
 77 qui fluctus ventosque regat, qui spiritus astra ;
 78 necnon et triplicis sortitos numina regni
 79 expingunt totidem varia sed imagine fratres ;
 80 sceptriferum summumque Jovem facieque serena,
 81 Inde tridentiferum moderatoremque profundi
 82 caeruleumque comas medium, fuscumque minorem ;
 83 torva latus servat conjunx, aterque paludis
 84 navita tartareae piceas redit itque per undas,

85 tergeminusque canis latrat ; tum dura severis
 86 pensa trahunt manibus fixa sub lege sorores ;
 87 quin etiam Stygias aeterna nocte tenebras
 88 anguicomaeque simul Furias templumque forumque,
 89 tum silvas et rura canunt atque arma virosque
 90 et totum altisonis illustrant versibus orbem.

MONICUS

91 Hic unum canit ore Deum, quem turba deorum
 92 victa tremit, caelum nutu qui temperat alnum,
 93 aethera qui librat liquidum, qui roris acervos,
 94 quique nives spargit gelidas et nube salubri
 95 elicit optatos herbis sitientibus imbres ;
 96 qui tonat et trepidum rapidis quatit aera flammis,
 97 tempora sideribus, qui dat sua semina terris ;
 98 qui pelagus fluitare jubet, consistere montes ;
 99 qui corpus mentemque dedit, quibus addidit artes
 100 innumeras geminum cumulans ab origine munus ;
 101 qui vitae mortisque vices, quaeque optima fessos
 102 fert super astra viam docuit repetitque monendo.
 103 Hunc meus ille canit ; neu raucum dixeris, oro :
 104 vox solida est penetransque animos dulcore latenti.
 105 Jure igitur, patriis primum celebratus in arvis,
 106 attigit et vestros saltus, lateque sonorum
 107 nomen habet : quae rura Padus, quae Tiberis et Arnus,
 108 quae Rhenus Rhodanusque secant, quaeque abluit equor
 109 omnia jam resonant pastoris carmina nostri.

SILVIUS

110 Experiar, si fata volent ; nunc ire necesse est.

MONICUS

111 Quo, precor ? Aut quis te stimulus, quae cura perurget ?

SILVIUS

112 Urget amor Musae ; quoniam modo litore in Afro
 113 sidereum juvenem genitumque a stirpe deorum
 114 fama refert magnis implentem pascua factis ;
 115 te, Polypheme, tuis jam vi stravisse sub antris
 116 dicitur et Lybicos silvis pepulisse leones,
 117 lustraque submissis audax incendere flammis.
 118 Hunc simul Italidesque nurus, puerique, senesque
 119 attoniti adverso certatim a litore laudant.
 120 Carmine fama sacro caret hactenus, et sua virtus
 121 praemia deposcit ; pavitans ego carmina cepi
 122 texere : tentabo ingenium, vox forte sequetur ;
 123 Orphea promeritum modulabor harundine parva.

MONICUS

124 I sospes, variosque viae circumspice casus.

ARGUS

YDEUS

B2 v.1 Aureus occasum jam sol spectabat, equosque
 2 pronum iter urgebat facili transmittersse cursu ;
 3 nec nemorum tantam per saecula multa quietem

4 viderat ulla dies : passim saturata jacebant
5 armenta et lenis pastores somnus habebat ;
6 pars teretes baculos, pars nectereserta canendo
7 frondea, pars agiles calamos ; tum fusca nitentem
8 obduxit Phoebum nubes, precepsque repente
9 ante expectatum nox affuit ; horruit ether
10 grandine terribili ; certatim ventus et imber
11 saevire et fractis descendere fulmina nimbis.
12 Altior, aethereo penitus convulsa fragore,
13 corruit et colles concussit et arva cupressus,
14 solis amor quondam, solis pia cura sepulti ;
15 nec tamen evaluit fatalem avertere luctum
16 solis amor, vicitque pium fors dura favorem.
17 Praescius, heu ! nimium vates tum, Phoebus, fuisti,
18 dum sibi dumque aliis : "Erit haec lacrimabilis arbor,
19 dixisti." Ingentis strepitu tremefacta ruinae,
20 pastorum mox turba fugit, quaecumque sub illa
21 per longum secunda diem consederat umbra ;
22 pars repetit montes, tuguri pars limina fidi,
23 pars specubus terraeque caput submittit hianti.
24 Silvius et Phitias scopulum fortassis eundem
25 praecipiti petiere gradu, geminisque cavernis
26 occulere animas trepidi, nec pauca gementes.
27 Post, ubi laxatis tempestas fracta parumper
28 nubibus et caeli siluerunt murmura fessi,
29 incipit illacrimans Phitias : " O Jupiter alme,
30 si scelus hoc nostrum meruit, si rustica sordet
31 pastorum pietas, silvis ignosce ! Precamur ;
32 innocui miserere gregis, meliorque capellas
33 collige dispersas ; teneris signata labellis
34 ubera te moveant, nisi forte obliviam lactis
35 illius astrigerae nectar tibi suggerit aula :
36 de grege nempe fuit nutrix tua ! " Talia questus,
37 subticuit, pectusque manu percussit et ora.
38 Silvius, audita rupis de parte querela,
39 (nam neque se coram cernebant, obice parvo
40 pretente silicis ramoque comante dirempti)
41 concussa sic mente refert, gemitumque coercens :
42 " O Phitia, Phitia ; fateor, sic astra minari
43 jampridem adverti, postquam flamantia Martis
44 lumina, et imbrifera Saturnum in parte morantem,
45 obsessumque Jovem, et Venerem transversa tuentem,
46 sibila ventorum postquam peregrina notavi.
47 Nonne procul nebulas, limo exhalante palustri,
48 surgere et in nostrum delatas vidimus axem ?
49 Nonne grues profugas, turpesque ad litora mergos ?
50 Num corvos, fulicasque vagas, num sidera maesta
51 vidimus et nimbo velatam abscedere Phoeben,
52 tum quae multa olim nascentis signa procellae
53 silvicolae cecinere senes ? Sed ferre necesse est.
54 Haec est vita hominum, Phitia ; sic laeta dolendis
55 alternat fortuna ferox. Eat ordine mundus
56 antiquo ; nobis rerum experientia prosit :
57 quo grex cumque miser ruerit, consistere pulchrum est."

58 " Care mihi in primis et semper maxime Silvi,
 59 respondit Phitias, oculos, te consule, tergam ;
 60 tu modo, si quod habes damni solamen acerbi,
 61 tempestiva graves relevent oblivia casus."
 62 " Imo, ait ille, tuum est quae condita carmina servas
 63 mecum partiri : Daphnis pastoribus olim,
 64 et tibi nunc ingens merito cantabitur Argus.
 65 Quid tibi non nobis, Phitias ? Num tu quoque carmen
 66 Argeum vocitare libet ? Nimis omnia celas."
 67 " Incipe ; forte sequar, nisi vox tua terreat," inquit
 68 Silvius. Ille alta fregit suspiria voce :
 PHITIAS
 69 "Arge, decus rerum ! Silvae dolor, Arge, relictæ !
 70 Hoc licuit rapide sacro de corpore morti ?
 71 Hoc ausa est tellus ? Te, qui stellantis Olympi
 72 jam solus spectator eras, humus obruit atra ?
 73 Quo favor, et nostri rediit quo gloria saeculi ?
 74 Quis tempestates praenosceret ab aethere longe ?
 75 Quis mihi voce feras quercusque et saxa movebit,
 76 aut longam dulci traducet carmine noctem ?
 77 Quis terrebit apros ? Quis tendet retia dammis ?
 78 Quis visco captabit aves ? Quis, flumine mergens,
 79 ah ! miseris curabit oves ? Quis sacra Cybeles,
 80 atque humilem, Admeti famulantem in gramine, Phoebum
 81 rite canet ? Quem nocturnus trepidabit abactor ?
 82 Quem noscent dociles alta sub rupe capelle ?
 83 Quem vigiles, fidi que canes ? Quem dulcis amica ?
 84 Quis mihi sollemnes statuet per litora ludos,
 85 insuetam patrio renovans ex more palaestram ?
 86 A quo consilium dubii, divinaque late
 87 silvestres responsa ferent ? Quis tempore in Arcto
 88 supplicibus prestabit opem ? Pulcherrime quondam
 89 Arge, amor ac luctus Dryadum, quid silva, quid antrum,
 90 Quid sine te colles ? Et post te vivere quisquam
 91 aut volet, aut poterit ? Pastores, credite, mors est
 92 vivere post Argum. Jam nunc arescere circum
 93 stagna, lacus, fontes, ipsumque videbitis aequor ;
 94 Spiritus alter erit ventis, color alter in herbis,
 95 floribus alter odor ; solitos nec poma sapes
 96 servabunt, nec prata comas, nec flumina lymphas,
 97 vellera nec pecudes, nec opimas campus aristas.
 98 Omnia namque oculis unus (nec fallimur) ille
 99 laetificare suis et fecundare solebat.
 100 Illo silva fuit semper sub principe tuta ;
 101 pax inerat fronti, purgabat nubila verbo.
 102 Ille abiit ; fortuna suos mutata fatigat.
 SILVIUS
 103 Extorques lacrimas ; nec jam mihi vivere dulce est
 104 post Argum. Sed vivaci parebimus astro.
 PHITIAS
 105 Effugis ! Agnosco : nusquam sine carmine, Silvi.
 106 Si libet ire, cane ; post i, tua damna recense.
 SILVIUS
 107 Pastorum rex Argus erat, cui lumina centum

26 Ex illo lacrimae et miserum suspiria pectus
 27 flatibus assiduis tundunt atque imbre tepenti.
 28 Tu tandem (quae sola potes) miserere, modumque
 29 pone malis, si justa peto, si cognita narro.

DANE

30 Quot placuit mea forma viris, quot torsit amantes
 31 dinumerare piget ; placuit super omnia Phoebos.
 32 Aureus ille comam, nitido spectabilis arcu,
 33 ingenio citharaque potens, Jove patre superbus,
 34 spretus et indignans abiit : stat conscia curvi
 35 ripa senis, memorantque patris sub gurgite Nymphae.
 36 Tu, quid habes, quo posse putes hoc frangere saxum ?

STUPEUS

37 Quisquis amore voles solido tranquillus et alta
 38 pace frui, majora fuge et nimis alta caveto.
 39 Illic contemptus et jurgia mixta querelis,
 40 atraque perpetuis bacchantur nubila ventis.
 41 Quin etiam vitare parem (licet obstrepat error
 42 publicus) admoneo ; fidum tibi junge minoris
 43 pectus, ubi obsequium pernox, humilesque vicissim
 44 blanditiae, dulcisque timor : res cognita paucis.
 45 Alta petunt omnes. Utinam mihi tale dedissem
 46 consilium ! Sed cogit amor, perque ardua vinctum
 47 luctantemque rapit. Victor fuit ille deorum,
 48 molliaque Herculeis aptavit pensa lacertis.
 49 Tu, cui libertas salva est, tibi consule, Dane.

DANE

50 Consilium laudo ; sed enim quae prima petebam,
 51 prima taces : spes summa tuos quae nutrit amores ?

STUPEUS

52 Praetereo quaecumque tribus mea pectora lustris
 53 ingenti siluere fide, gemitusque latentes,
 54 et vigiles noctes, et quae fert plurima secum
 55 immitis dum saevit amor, quae forte benigno
 56 iudice sint aliquid ; tamen haec periisse sinamus.
 57 Sic ierit ; tulerit tales mihi vita labores ;
 58 debitus incautae fuerit furor iste juventae.
 59 Haud tacuisse velim, quod, cum mea pauca putarem
 60 posse placere tibi, studui si musica forte
 61 ars mihi ferret opem, quod te sonus atque Camenae,
 62 non auri fulgor caperet ; frustra timebam
 63 hanc etiam tentasse viam ; raucumque videbar
 64 nescio quid strepere, donec mea carmina Faunos
 65 non puduit Dryadesque pari celebrare favore.
 66 Saepe quidem ramum vidi dulcedine tentas
 67 linquere, et attonitas in me spectare capellas,
 68 spernere apes cithisum, mutas aestate cicadas.
 69 Laetabar. Nec nata prius fiducia nostri est,
 70 quam sacer ille mihi : " Cane fidens," diceret Argus.

DANE

71 Et merito ; namque ille fuit qui talia posset.
 72 Jure jubere suo, nosset qui talia solus.
 73 At tu, si qua recens studium tibi contulit, effer.

STUPEUS

74 Dane, nostra quies, noster labor atque voluptas,
 75 unam ego te dominam, teque hostem affusus adoro.
 76 Tu decus es nemorum, tu spes pastoribus ingens ;
 77 te vates magnique duces, te Jupiter altus
 78 diligit, ac jaculo refugit violare trisulco,
 79 quo ferit omne nemus. Te, quam pharetratus Apollo,
 80 quam celebres arsere dei, nunc Stupeus ardet,
 81 pastor inops, lentusque gregis contemptor opimi ;
 82 dives erit, si pulchra voces sua carmina, Dane.

DANE

83 Plus aliquid, quam rebar, eras ; reverentia nostri
 84 impedit. Adde aliud ; poteris fortasse placere.

STUPEUS

85 Forte die medio, dum me meus urget amaror,
 86 sive amor in silvas, subito vox contigit aures
 87 dulcior humana. Stupui : levis unda nitentes
 88 per pronum herboso volvebat calle lapillos.
 89 Prominet ipse locus, murmurque secutus aquarum,
 90 purpurea in ripa laurique comantis ad umbram,
 91 virgineam aspicio, celo plaudente, choream.
 92 Flecto gradum propere. Tunc una sonantior omni
 93 ex numero : " Si fata tuos hoc tramite gressus
 94 rara movent, aude divinos cernere vultus."
 95 Haec ait, et dextram tenuit ; tremor omnis abibat
 96 posse loqui ; incipio : " Quin vos mihi parcite, dive ;
 97 Error Amorque trahunt ; sector vestigia durae,
 98 heu mihi ! sparsa ferae ; fugit illa, meosque dolores
 99 nescit. " Ad haec Virgo, subridens : " Novimus, inquit,
 100 omnia. Thessalidem sequeris per confraga Danem ;
 101 fabula jampridem Aoniis notissima lucis.
 102 I certus, lentescet enim ; tamen accipe ramum
 103 hunc prius." Et tenero frondosum pollice ramum
 104 decerpsit, cupidoque mihi porrexit, et : " Ibis,
 105 ibis, ait, dicesque novem vidisse sorores,
 106 quas vulgus spectare nequit, quas nulla profanis
 107 mens curis imbuta videt. Si plura rogaris,
 108 dic vidisse, quibus vi bella movere dolisque
 109 quam tutum, praeceps docuit de turre Pyreneus,
 110 voce vel ingenio picae docuere loquaces.
 111 Dic sacro te monte vagas ; dic fontis ad undam
 112 quem pedis impulsu, genitus cervice Medusae,
 113 alatus perfodit equus ; dic nexa canentes
 114 orbibus imparibus, vario modulamine vocum,
 115 cuncta novem, variosque animorum ex ordine motus ;
 116 Quid famae praedulcis amor, vocisque levamen,
 117 Quid studium, ingeniique vigor, quid culta cerebri
 118 ora tenacis agat ; post haec, quisnam impetus, et quod
 119 iudicium, aetheriae quaenam discretio menti,
 120 quidve potens mulcere aures. In fine fugaces
 121 huc, Dane, " dicit " verte oculos. Regina sonori
 122 hunc mihi prima chori ramum dedit arbore vulsum,
 123 quem tibi monstrarem ; volucrem jubet illa monetque,
 124 Maemoniae post signa fugae, consistere tandem :
 125 ferrea sit quamvis, motam pietate videbis."

DANE

126 Motaque sum ; sequere et collem properemus in illum.

STUPEUS

127 Perge ! Labor nullus tecum juga prendere Olympi.

DANE

128 Scis quo colle sedes ? Majestas quanta locorum est ?

STUPEUS

129 Imperiosus apex dare circum jura videtur

130 collibus, et celo silvas despectat aperto.

DANE

131 Huc ego pastores memini victricia sertis

132 tempora, et arboreis spoliis ornata, referre

133 curribus invectos niveis delubra deorum.

134 Intereram jam laeta, virens ; spectare juvabat

135 cum ductore greges captos, tristesque juvencos,

136 exuviasque graves peregrinis montibus actas,

137 et longos rerum strepitus, pompasque frementes :

138 huc ab hyperboreis per vim custodibus aurum

139 grypibus ereptum, magnos pervenit in usus ;

140 huc Asiae praedas informi squalida tergo ;

141 huc quoque nutantes tulit indica belua turres.

142 Quid te multa morer ? Quicquid nemus undique pressis

143 extulit uberibus, hoc est in monte coactum.

144 Hic justis sedere patres, hic viva juvenus,

145 hic caste lusere nurus ; hoc pastor in antro

146 Maximus insidiis periit, nec pulcher Adonis

147 vulnificos evasit apros. Sed tristia linquo.

148 Hoc ipsos est fama deos habitare cacumen ;

149 Hoc caput est nemorum, domus haec Jovis ampla tonantis ;

150 hic, natum complexa suum, Latona Sibyllae

151 agnita fatiloquae, pastori ostensa superbo est ;

152 haec juga magnanimus, Scipionibus actus eburnis,

153 (sic crevit fortuna loci !) tua cura, subactis

154 saltibus ex Lybicus rediens, puer ille revisit

155 et secum rudis ille senex. Post tempore multo

156 cantantes venere alii, quos dicere longum est,

157 Partheniasque tuus, triplicis modulator avenae.

158 Omnibus hic viridi frondebant tempora lauro.

159 Hic ego, dissimili quanquam sub sidere, sertum

160 fronde tamen simili faciam tibi : porrige ramum,

161 quem sacra Castaliae regnatrix tradidit almae ;

162 illius hoc nostrumque simul tibi munus habeto :

163 linque alias curas et noster protinus esto.

STUPEUS

164 Nunc vigilasse juvat ; dulce est meminisse laborum.

DEDALUS

GALLUS

B4 v.1 Tale quis ingenium, tanti quis muneris usum ?

 2 Ut niveum compegit ebur, nervosque loquentes

3 addidit ac numeros ! Dic, o Tirrene, quis ille ?
 4 Daedalus ? Anne alius dextre successor et artis ?
 TIRRENUM
 5 Daedalus ipse fuit, nec falleris omine, Galle,
 6 artificum stupor aeternus, quem docta potensque
 7 miratur natura virum ; mihi maximus ille
 8 argutam dedit hanc citharam plectrumque modosque.
 GALLUS
 9 Cujus amor meriti ? Cujus pulcherrima merces ?
 TIRRENUM
 10 Nullius. Nam sponte meum quaesivit amorem,
 11 dignus quem silvae, quem grex, quem pastor adoret.
 GALLUS
 12 Qua tamen haec regione tibi sors obvia venit ?
 TIRRENUM
 13 Est nemus aerium, trabibus quo frigida quernis
 14 submovet umbra diem ; non illic aura, nec aestus,
 15 non gregis aut hominum vernos premit ungula flores ;
 16 fontibus aversis circum duo flumina surgunt,
 17 hoc secat Etruscos, petit illud gurgite Romam :
 18 hic, quasi venturi presagus, tristia mecum
 19 plurimaolvebam, flebam quoque ; vidit ab alto
 20 Daedalus annosas inter considerare fagos ;
 21 accessit, citharamque ferens : " Puer, accipe, dixit ;
 22 hac casus solare tuos, hac falle laborem."
 GALLUS
 23 Infelix ! Ubi tunc aberam ? Fortasse fuisset
 24 haec fortuna alii ; citharam mihi Daedalus illam ;
 25 novit enim egregie, atque interdum visus amare est.
 TIRRENUM
 26 Hanc minime ; sed forte aliam, nam milia multa
 27 ille habet et large partitur munera in omnes,
 28 Galle ; sed, ante diu quam praesens silva vireret,
 29 haec fuerat promissa mihi. Namque anxia partu
 30 mater anhelanti Lucinam voce rogabat,
 31 et maestum, ignarus lucis, jam limen adibam ;
 32 attulit ecce pium fors Daedalon ; haud mora, mixto
 33 vagitu gemituque gravi concussus, apertas
 34 substitit ante fores ; deque obstetricibus uni :
 35 " Si puer est, citharam dabimus ; si nata, monile,
 36 dixerat, ac speculum. " subitoque evanuit. Inde
 37 polliciti rediitque memor, factoque beavit.
 GALLUS
 38 Utilis invidiae species imitatio fervens,
 39 incutiensque animo stimulos, Tirrene, fatebor.
 40 Ardeo nunc similem citharam, nisi forsitan ista
 41 (quod malim) caruisse velis. Sunt vellera nobis
 42 mollia, sunt haedi ; pretium, vel grande licebit,
 43 ipse rei parvae statuas. Parebitur ultro.
 TIRRENUM
 44 Grande rei parvae ? Citharae solatia nescis ;
 45 rem magnam (sit nota) voces : fastidia mulcet,
 46 lassatos animos refovet, solatur amicos,
 47 gaudia restituit, pellit de pectore luctum,

48 exsiccat lacrimas, compescit flebile murmur,
 49 spes revehit, frangitque metus, vultumque serenat.
 GALLUS

50 Quid pretio majore vetat vel magna pacisci ?
 TIRRENIUS

51 Non mihi saetigeri quantumvis pascitur usquam
 52 villigerique gregis, nedum leve vellus et haedi
 53 sit pretium citharae ; non si tibi gurgite latos
 54 ambiat Hermus agros, rutilisque oblimet arenis.
 55 Quid mihi divitiae ? Quid rerum mutus acervus ?
 56 Nostras cernis opes : haec est, qua crebra rebellis
 57 proelia fortunae mundique prementia vincla
 58 pauperiemque levo ; rigidas hac saepe per Alpes,
 59 perque nemus vacuum, perque atra silentia noctis
 60 fisis eo ; plaudunt volucres et concava saxa,
 61 interea tristes fugiunt per nubila curae.
 GALLUS

62 Laude sitim cumulas ; fer opem, optatoque potiri,
 63 te duce, contingat ; vivam memor emoriarque.
 TIRRENIUS

64 Sera animum quae cura subit ? Brevis ecce juventae
 65 flos cecidit. Tunc tempus erat ! Jam discere turpe est
 66 quod pulchrum didicisse foret. Sic volvitur aetas,
 67 omnia sic volvitur fugiens, ac nescia freni.
 68 Sorte tua contentus abi, citharamque relinque ;
 69 est quibus a teneris tractata suaviter annis.
 GALLUS

70 Posceris auxilium ; tu consulis ? Incipe rebus
 71 mecum ; verba aliis, quos possunt verba movere.
 72 Poscimus hanc avidae ; toto nil pulchrius orbe est.
 TIRRENIUS

73 Pulchra movent oculos, sed prosunt apta fruendi ;
 74 in partesque venit pudor atque modestia voti.
 GALLUS

75 O felix, o care deis, Tirrene, supernis !

PIETAS PASTORALIS

MARTIUS

B5 v.1 Quid genitrix veneranda dolet, germane ? Quid illi
 2 accidit hoc dignum gemitu ? Quorsumve recentes
 3 maesta pluet lacrimas, nec lumina nostra madescent ?
 APITIUS

4 Cuncta vorant anni volucres ; domat omnia tempus
 5 indomitum ; cecidit matris fortuna decorque,
 6 arentique virens senio dat terga juvenus.
 MARTIUS

7 Aspice quot circum stabiles, urgentibus annis,
 8 et virides cernuntur anus. Aliunde profecto

9 luctus et offensi veniunt suspiria cordis.
 10 Quaerere nos causas, fatisque obstare repertis
 11 suadet amor, pietasque jubet, meritumque reposcit
 12 altricis, partusque labor, fastidia, curae.
 APITIUS
 13 Vim nescit natura pati ; licet omnia certent
 14 pectora ab adverso, cunctas licet advocet artes
 15 humanum genus et studio contendat inani,
 16 invictum caput illa ferens, contemnet habenas.
 MARTIUS
 17 Haec prope diis natura pares jubet esse parentes.
 APITIUS
 18 Haec eadem prohibet cursum prevertere vitae,
 19 et rerum turbare vices. Juvenescere mater
 20 nostra nequit ; varia est pietas ; de conjuge quisque
 21 cogitet et parvis studeat succurrere natis.
 MARTIUS
 22 De genitrice nihil ? Sed enim mihi maxima matris
 23 cura subest viduae ; nil hac mihi carius usquam.
 APITIUS
 24 Quis vetat esse pium ? Munus leve dulcia verba.
 25 Hos humeros, has illa manus, haec bracchia nobis
 26 sola dedit, donisque suis ea sola fruatur.
 27 Non comes esse sibi, quascumque vocarit in oras,
 28 abnuo, nec fragili baculum me ferre senectae.
 MARTIUS
 29 Dii tibi consilium celo tribuere sereno ;
 30 Nunc pietas sua regna tenet, sua possidet arma :
 31 filius es, matri vin subveniamus egenti ?
 APITIUS
 32 Fare ; quid expectas ? Omnis mora torquet amantem.
 MARTIUS
 33 Est domus ampla sibi, nemoroso condita colle,
 34 dudum magnanimi longo quam tempore fratres
 35 obsequiis coluere piis. Tum cognita late
 36 mater erat, saltus nimis invidiosa per omnes,
 37 felix et partu, et silvestribus inclita Gallis,
 38 ac nemorum regina potens ; mors invida natos
 39 praeripuit miserae, perierunt corpora fratrum.
 40 Fama viget. Nos ludibrio dilata juvenus
 41 spiramus ; sed fama jacet, tenebrisque sepulta est.
 42 Sub nobis mutata domus fortuna ; tot annis
 43 incolumis, nostros cecidit non passa furores.
 44 Haec matri reparanda domus ; nil gratius illi,
 45 ni quo fata premunt, fractis consurgere bustis
 46 aspiceret natos et tempora prisca reverti.
 APITIUS
 47 Milia sunt hominum, curarum milia mille :
 48 quisque sibi sapiens. Unde haec tibi somnia frater ?
 49 Pellere pauperiem labor est mortalibus ingens,
 50 cui nunquam speranda quies ; nos sorte maligna
 51 vivere per silvas ulla vix possumus arte ;
 52 Et (tecum, germane, loquor) non furta rapinis
 53 mixta juvant, plenis nec praedae ab ovilibus actae.

54 Tu nova tecta paras ruiturae attollere matri ?

MARTIUS

55 Non nova, sed veterum turpes reparare ruinas
56 da, frater, da, care, manus partemque virilem
57 sponte subi ; vincat pietas invicta laborem.
58 Siccemus pariter lacrimas, et maesta parentis
59 pectora, ne tales doleat genuisse, levemus.

APITIUS

60 Cura supervacui pectus quatit ! Occidit illa
61 spes sobolis, quae cuncta procul compleverat arva,
62 nec muris contenta suis, nec caespite parvo.
63 Ad paucos reditum ; pascent nos avia baccis
64 arboreis, duplicisque capax testudinis antrum,
65 dum tonat, excipiet, ventosque arcebit et imbres,
66 mater ubi alternis convivium festa diebus
67 hic aget atque illic, geminoque fruetur honore.

MARTIUS

68 Conjugibus despecta quidem et calcata superbis,
69 ac dominas habitura nurus ! Quin flectere tandem
70 et monitus meliora vide : genitricis uterque
71 tecta colat, limenque pius venerator adoret,
72 quod sacri tetigere pedes. Non aspera mando ;
73 dulce est annosae juvenem servire parenti.
74 Non in vestibulo pudeat me mane videri
75 sollicitum, quid mandet anus. Quin septa laremque
76 molimur, solitas sedes ? Hinc jussa nepotes
77 accipiant, hic una domus, nec scissa potestas,
78 nec fratrum divisus honos. Vicinia junctos
79 horrebit ; virtus gladio plus vera timetur.
80 Aggrediamur opus, quaedam leviora videntur
81 expertis ; genitrix, animos si cernat amicos,
82 ipsa aderit ; nam pascit oves, pascitque juvencos,
83 unde istas cumulamus opes. Ars fallere matrem
84 prima quidem pueris ! Fortunae frusta vetustae,
85 praeterea et terrae salis altum infodit acervum,
86 quem cupido quondam pecori blandita latenter
87 miscuit et sapidas aspergine reddidit herbas ;
88 insuper ad veteres ortos, umbrosaque Tempe,
89 Saturnique domos, et quae possedimus ultra
90 (Lydius at nunc hospes habet) violentus ab alto
91 monte cadit rivus, qui, dum sua rura revisit,
92 impedit invalidam transverso gurgite matrem.
93 Pons fuit hic, manibus sanctorum structus avorum,
94 tempus in hoc solidus ; tacitos quo tramite fures,
95 qui gregibus pestem, silvis suprema parabant,
96 repperit argutus nocturno tempore pastor ;
97 collaque sic meritis fregit. Tua dextera pontem
98 hunc (tibi nota loquor) tumidas effudit in undas,
99 dumque nocere mihi properas, matrique tibi
100 et gregibus silvisque nocet. Sed jurgia mitto.
101 Hic nostram modo poscit opem ; sine crimine quamvis,
102 non onerum partem tecum tolerare recuso.

APITIUS

103 Compulit in facinus tua longa superbia. Verum

104 cymba brevis fluvio est, habilis transire volenti ;
 105 rus breve trans fluvium superest ; fortuna solutos
 106 angustat, finesque locat quos fratribus olim
 107 tam bene pacatis quam nos sumus. Arcta priorum,
 108 arcta extremorum confinia ; at inter utrumque
 109 laxarunt sua rura senes. Audacia laetos
 110 non stabiles habet eventus : en omnia demum
 111 ad primas rediere vias, forsque improba giro
 112 lusit in assiduo. Quid quod sine ponte manemus
 113 tutius in ripa ? Jam, quantum ad cetera, serum est
 114 aedificare domos sub tempus velle sepulcri.

FESTINUS

115 Quid vano sermone leves consumitis horas ?
 116 Tertius ille minor, quem vos calcare soletis,
 117 silvas frater habet ; jam fundamenta domorum
 118 sede locat patria ; genitrix sibi rura gregemque
 119 credidit et nati gremio segura quiescit.
 120 Parent cuncta sibi. Curas agit ille seniles
 121 ense puer stricto, laqueisque sub arbore tensis,
 122 quis avium furumque pedes et colla premantur.
 123 Pinguibus arentes tenerisque ab ovilibus arcent
 124 fortia claustra lupos, tristis non murmurat ursus,
 125 sanguineus non saevit aper, non sibilat anguis,
 126 Non rapidi praedas abigunt ex more leones,
 127 Non aquilae curvis circumdant unguibus agnos ;
 128 excelso, praedulce canens, sedet aggere custos.
 129 Pascua tuta silent. Audit jam litus utrumque
 130 carmen, et extremus calaber ligurumque recessus,
 131 undifragi sectique tenens convexa Pelori.
 132 Si vocem extulerit, Mauros turbabit et Indos,
 133 Arctoasque nives, Austrique calentis arenas.
 134 Imperat is vobis linguam cohibere ; capellas
 135 ite domum tondere inopes. Negat almaque mater
 136 partem uteri vos esse sui, suppostaque jurat
 137 pignora falsa sibi : vallis te proxima misit,
 138 Appenninigenae qua prata virentia silvae
 139 Spoletina metunt armenta gregesque protervi ;
 140 te longinqua dedit tellus et pascua Rheni.

MARTIUS

141 Nunc memini : audieram veteres narrare bubulcos.

PASTORUM PATHOS

PAMPHILUS

B6 v.1 Quis nemus omne vagis lacerandum praebuit hircis ?
 2 Quid silvae meruere meae, quas rore superno
 3 Jupiter, et rivis spumantibus horrida conjunx,
 4 impiger atque olim Pyreos Phantosque rigarunt ?
 5 Quae rabies furtim, segetes dum carpit acerbas,
 6 spes et opes turbavit agri ? Cui pulcher Hiberus,
 7 deliciae nostrumque decus, sub tempus aratri

8 non timuit prunas crepitantibus addere lauris,
 9 quis prope consumptus, dextram nisi noster Apollo
 10 porgeret afflicto, montesque efferret in altos ?

MITIO

11 Pastorum sors dura nimis ! Date frena capellis,
 12 indomitos cohibete greges, simul ubera multo
 13 lacte fluant semper... Magicas non movimus artes !
 14 Et nunc iste ferox lites et jurgia secum
 15 instruit, ac, saxum et nodosa repagula gestans,
 16 quot maledicta parat, poterit maledicta mereri,
 17 ense perire suo, quod fert reperire venenum.
 18 Blanditiis tamen aggrediar : quo Pamphile et unde ?
 19 Quosve locos habitas ? Serum tua claustra revisis !
 20 Quid fremis ? inque gravi qui fervet spiritus ore ?

PAMPHILUS

21 Furcifer hic, Mitio ? Nec te durissima sontem
 22 sorbet adhuc tellus ? Jam jam mirabile nullum est,
 23 Si nemus et messes atque omnia, versa retrorsum,
 24 spem lusere meam. Cui proh ! custodia culti
 25 credita ruris erat ? Cui grex pascendus in herba ?
 26 Intempestivis perierunt mortibus agni ;
 27 defessi periere boves, hircique supersunt,
 28 immundique sues, quos luxus et otia tendunt :
 29 turba nociva satis, nulla quae lege per agros
 30 spargitur insultans, virgultaque dentibus urit ;
 31 jam montes infecit odor, nostramve quietem.

MITIO

32 Haud inopina quidem patior convicia ; dudum
 33 singula nam tacito tractans sub pectore mecum
 34 vaticinatus eram : " Jam turbidus ille redibit,
 35 nec servi tergo, nec amici parcere famae
 36 doctus, nec rigida pietatem admittere fronte."
 37 Pamphile, quam facile est alienam carpere vitam !
 38 Quam durum servare suam ! Te forte magistro,
 39 segnior haud gregibus mors ac lupo ingruat albis ?
 40 Nequicquam baculoque minax vultuque venires ;
 41 nil tibi tristis hiems (quanquam cessura rigori
 42 illa tuo), nil ver dubium, nil morbidus auster,
 43 nil tibi de proprio violenta remitteret aestas ;
 44 Non volucres segeti, non mitibus umbra racemis,
 45 Non caper arboribus, non bucula parceret herbis.

PAMPHILUS

46 Nonne ego pastor eram, dum trux, turpissime rerum,
 47 Nereus, adverso pascens in vertice tauros,
 48 transversum dejecit humi, et pecus omne parabat
 49 vi rapere ? Obluctor ; donec violentior ille
 50 exiit hirsutam tunicam, nudumque reliquit.

MITIO

51 Quid potius tractare velim quot, tempore parvo,
 52 tunc nostri cecidere greges ? Est sanguine vallis
 53 pinguis adhuc ; caecis raptim congesta cavernis,
 54 Ossa jacent ; horrore ferit locus ipse tuentes.
 55 Non tibi, non aliis licuit mandare macello
 56 membra boum ; sparsere lupi, sparsere leones !

PAMPHILUS

57 Dii tibi sint hostes ! At non jacuere magistri ;
 58 Non rauci siluere canes ; quod saeva sinebat
 59 extremum fortuna, fuit : spoliare cadentes
 60 et niveas urbi, dominoque remittere pelles.
 61 Tu mihi quid servas, nisi cornua dempta juvencis ?

MITIO

62 Servo aurum, teneris quod compensavimus agnis ;
 63 servo habiles scyatos, et agresti urgere labellum
 64 subere non dignor, rudium miseretque parentum.
 65 Adde quod ars, duce me, multum pastoria crevit :
 66 discolor en talos Tyrrheno ex more coturnus
 67 circumit ; effulgens obnubit tempora iaspis ;
 68 candida Sidonio ter murice vellera tinxi,
 69 et magnos peperit pro munere lactis amicos.
 70 Sponsa nitet gemmis, collumque monilibus ambit,
 71 et mecum fusca secura recumbit in umbra ;
 72 non glacie nivibusque rigens, nec solibus usta,
 73 qualis erat tua turpis anus, dum rura tenebas ;
 74 regia, si spectes, non nostra videbitur uxor.
 75 Tum passim herbosis ludunt in vallibus haedi,
 76 inque volutabris segnes innata voluptas
 77 conglomerat versatque sues ; non humida pastor
 78 fortior antra subit. Sedeo jaceoque supinus,
 79 multa canens quae dictat amor, nec crastina curans ;
 80 commissique gregis ludos et proelia cerno.
 81 Tu querulus tristisque mane ; tu dente canino,
 82 qua rabies tulerit, semper mordere paratus.

PAMPHILUS

83 Ergo, impure, tuum nostris cum sentibus aurum
 84 jungis ? Ut indignos habitus tibi praeferat uxor,
 85 rebus onusta suis ? Ut tu meliore cubili
 86 membra loces, somnumque animo vigilante fugacem
 87 excipias oculis, et turbida visa fatigent ?
 88 Concilient ut vasa sitim, causasque timendi
 89 inveniant, et forma domus, et cara supellex ?
 90 Heu ! labor insanus precio cumulare periculum ;
 91 heu ! furor extremus nuptae parere furenti.
 92 Turpis, adulteria et thalami tot probra pudendi
 93 dissimulare potes ? Nempe hi, quos fingis amicos,
 94 conjugis incestae facilem rapuere pudorem,
 95 insidiasque parant etiam tibi ; lumina tolle
 96 immodico depressa mero ; lupus instat ovili,
 97 antraque pervigiles circumstant ditia fures.

MITIO

98 Furibus est mecum contractum sanguine porci
 99 foedus, et inferni descriptum regis in ara ;
 100 invisum superis sacrum fortasse, profundis
 101 acceptum sed jure deis, quibus aere litatum est.
 102 Non ego, jejunae confringant pingua tigres
 103 septa licet, totoque fremens ruat aethere grando,
 104 armentisque satisque necem ferat acrior annus,
 105 pauper ero : tantum scrobibus commisimus atris !

PAMPHILUS

106 Tolle ferum, scelerate, sacrum, quod Jupiter et Sol
 107 erubuit potuitque Jubar.. ! Sed acerba relatu
 108 praetereo ; quid pastor eras, per litora Gallas
 109 convehis, et neutrum perages feliciter. Aude
 110 linquere jam silvas, urbesque videre remotas,
 111 pandere vela notis, tumidas tentare procellas ;
 112 uxor enim ignotis jampridem in collibus errat
 113 et, patrium limen thalamumque egressa pudicum,
 114 illa sequetur ovans meretrix famosa, procosque
 115 secum aget ardentis et olentes turpiter hircos,
 116 herba peregrinae quibus est jam grata paludis.

MITIO

117 Quid, pater, obscuris animos ambagibus imples ?
 118 Longaque nunc seris quid litibus otia frangis ?
 119 Desine jam maestis alacres incessere verbis.
 120 Dic, age ; dic breviter quicquid fert impetus et mens.

PAMPHILUS

121 Es meritis post vincla crucem, post verbera ferrum.
 122 Supplicium breve ! Quin potius sine fine dolores
 123 carceris eterni, vel si quid tristius usquam est,
 124 serve infide, fugax, dominoque ingrante benigno.

MITIO

125 Crude senex, gestare crucem, tolerare catenas
 126 si nescis, sors ipsa tua est. Vulgata per omnes
 127 fabula jam saltus, Nerei terrore superbi
 128 destituisse gregem, medio nisi tristis Apollo
 129 sistere calle gradum, non vertere terga juberet.
 130 Cetera nam sileo, domino quam fidus in arctis
 131 casibus, ut possint desertae ignoscere caulae.

PAMPHILUS

132 Et fugi, et redii ; timui Pastoris iniqui
 133 verbera ; nulla metum facilem damnaverit aetas.
 134 Flumine mox lavi maculas, pallorque recessit.
 135 Quae tibi causa fugae ? Cur claustra quieta relinquis ?
 136 Cur, longinqua sequens, quercus contemnis avitas ?
 137 Quo claves, vesane, rapis ? Quin, abice, rerum
 138 tantarum si cura premit ; per moenia saltu
 139 errantes cogentur oves sub tecta reverti :

MITIO

140 jam mihi magna placent ; inopis num semper ovilis
 141 servus ero ? Dulcem cantando nactus amicam,
 142 formosus fieri studeo ; solemque perosus,
 143 antra umbrosa colo frontemque manusque recenti
 144 fonte novans. Speculum Corydon Byzantius istud,
 145 quo mihi complaceo, dono dedit ; omnia novit
 146 et patitur conjunx, quoniam sua multa vicissim
 147 dura fero. Vos ignotas jactetis amicas,
 148 me mea perpetuis foveat complexibus Epy.

PAMPHILUS

149 Infamis mulier, multisque infausta maritis,
 150 te foveat demens ! Prior Epycus ille, profanos
 151 lapsus in amplexus, cecinit per rura, per urbes
 152 quam conjunx generosa sibi ; prior ipse puellam
 153 nactus ad irriguos secum traduxerat ortos ;

154 ludibrioque habitus vivens moriensque, jacentem
 155 exedere canes et perminxere sepulcrum.
 156 Letior haud aliis post hunc ; sed adultera forte
 157 fida tibi ; fruere et speculum Corydonis habeto.
 158 Aeternum gemat ille miser, pastoribus aule
 159 qui primus mala dona dedit ! Formosus haberi
 160 dum petis, et capiti circumdas sertam nivosa,
 161 (ignotum tot pondus avis) dum floribus antrum,
 162 dumque pedum, delire, rosis silvestribus ornas,
 163 omnia depereant ; quando impia sidera caelo,
 164 impia fors terris superant. Intercidat una
 165 cura gregis ; rurisque labor, studiumque peculi.
 MITIO
 166 Succedet mihi forte aliquis " nec longius hinc jam
 167 (augurio nisi fallor) abest " qui tristis inersque
 168 mitia praeduris excuset facta repulsis,
 169 alvernasque ferat Romana in pascua sordes.
 PAMPHILUS
 170 Quem talem, nisi te genitum fortasse, minaris ?
 171 En tua tota fides ! En laudum summa tuarum !
 172 Pejorem si terra parit, tunc optimus ipse,
 173 inque nocens Mitio. Sic crimen crimine purgas ?
 174 Vive laete, gaude vitii majoris ad umbram.
 MITIO
 175 Laetus agam, moriarque dolens ; tu, tristis utrumque,
 176 nescio quid confusa tibi tua somnia servent.
 PAMPHILUS
 177 Par fuerat meminisse, quibus bonus ille periculis
 178 ista paravit herus. Laniatum vepribus aspris
 179 vidimus. Heu, quanti miserans armenta redemit
 180 perdita, sublimi veniens mercator Olympo !
 181 Quam tenuis victus, quam nulla superbia verum
 182 ruris habet dominum ! Tu luxuriaris in arvis
 183 illius ; ipse sua sitiens ac sobrius aula est.
 MITIO
 184 Immemor ille sui, et, verum fateamur, avarus !
 185 Perdere pauca timet, cum possit perdere multa.
 186 Impiger horrisonis pastores vocibus implet ;
 187 hinc didicisse potes, semperque in fontibus aegras
 188 mersat oves, tondere jubens, ne vellera lappae
 189 intricent, prohibens ipsis a sepiibus hircos ;
 190 ostentatque rubos itidem sterilesque miricas,
 191 (pascua dura feris) famulos macieque geluque
 192 conficit, ac tolerare famem somnumque sitimque
 193 edocet, adjungitque minas atque intonat ore ;
 194 dulcia cuncta vetat, jubet aspera ; culta cavebis,
 195 avia lustrabis, montes superabis iniquos,
 196 et pedibus nudis tribulos calcabis acutos.
 197 Moribus his hominum quisquam de sanguine natum
 198 dixerit ? Aut raros illi miretur amicos ?
 199 Contra ego, me memini domino servire potenti ;
 200 perdere magnificum ; multis placuisse decorum.
 201 Vis ubi nulla premit, quis tot consumet aristas ?
 202 Quod pecus assiduo peraget tot gramina morsu ?

203 Lascivos errare greges, hircosque procaces
 204 conjugio gaudere sinas. Simul ipse jocabor.
 205 Dum mea me conjunx, dum me mea suspicit Epy ;
 206 vos vestros servate, meos mihi linquite mores.

PAMPHILUS

207 Infelix, sic noscitis herum ? Dum tutus in umbra
 208 stare putas, aderit, praeventens gaudia luctu.

MITIO

209 Men verbis terrere paras ? Praesentia fortes
 210 despiciunt ; timidos etiam distantia terrent.

GREX INFECTUS ET SUFFECTUS

MITIO

B7 v.1 Dulcior his silvis, et gramine dulcior arvi,
 2 gratior his antris, et gratior amne sonoro,
 3 huc modo, dum sum solus, ades, mea nobilis Epy.
 EPY
 4 Nulla dies, Mitio, nostros abrumpat amores ;
 5 nulla dies gremio caput hoc disjungat amato :
 6 ultro adsum, semperque adero, nec sponte revellar."
 MITIO
 7 O mea (nam dulce est animum exonerare loquendo)
 8 Quid mihi nunc stomachi reris ? Praecordia quantum
 9 fellis habet sparsi ! Mordax modo Pamphilus acri
 10 perculit incautum penitus, pupugitve querela,
 11 multa minax. Absentis heri sub fine pavorem
 12 obtulit intrepido ; fortem fortissima contra
 13 frons stetit haec. Nunc, cara comes, tot dulcia mecum,
 14 tot laetos partita dies, partire quod instat.
 15 Ne pigeat, numeremus oves, numeremus et hircos.
 16 Seu gravis iste redit, seu forsitan ille tremendus,
 17 vera licet fictis pretextere crimina verbis ;
 18 stet modo frons eadem, conceptaque formula fandi.
 EPY
 19 Lanigerum quodcumque pecus servare solebas
 20 mors rapuit, vel morbus habet ; per gramina ripae
 21 pascitur alterius quicquid superesse dedit fors.
 22 Febris iners, scabiesque tenax, violentaque tussis
 23 jam vacuos populantur agros ; premit horrida sudor
 24 mucidus, et rigidi configunt tergora dumi.
 25 Tutius abfuerint, ne furtim laeta pererret
 26 maesta lues capita, et serpens per ovilia pestis.
 27 Cetera nosse datur, refer huc tua lumina tantum.
 MITIO
 28 Perge, meum culmen, mea spes, mea tota voluptas.
 EPY
 29 Ille, procul fulvo quem cernis ludere tergo,
 30 vertice conspicuum, saetis cui discolor albis
 31 barba genas mentumque tegit, per pascua late

32 noscitur immitis, frondisque petulcus et herbae.
 33 Hunc etiam cupidae metuunt perferre capellae,
 34 sic duras tenerasque tegit, sic pondere toto
 35 irruit, incumbens miseris, Veneremque nec ullam
 36 respuit. Haud propriae fit segnior inde maritae,
 37 quae paribus signata notis et concolor illi est.
 38 Ipse quidem, luxu immodico lassatus et annis,
 39 jam senuit ; sed dura fero recalensque senectus.
 40 Ille procax, parili totus licet ardeat aestu,
 41 viribus haud paribus fruitur ; tamen omnia turbat
 42 saepta furens, nullasque sinit dormire quietas
 43 somnifera sub nocte capras ; sed ovilia circum
 44 hunc animus, non sanguis agit ; dumque aspera prensat
 45 colla, parum stabiles fregisse per oscula dentes
 46 cernitur, et vocis paulatim perdidit usum.
 47 Quem, quotiens video, subitus quatit ilia risus,
 48 ut fragilis dumeta petit, crebrosque himeneos,
 49 et Venerem gelidis ardentem naribus omni
 50 tempore suspirans, inamoenum spargit odorem.
 51 Tertius ille autem, distortis cornibus, atra
 52 luxuria effervens, teneris male temperat haedis.
 53 His multum debere memor grex ipse fatetur ;
 54 horum namque licet circum praesepia natos
 55 enumerare leves, atque agmina multa nepotum.
 56 Ille, piger senio, torpet ; tamen integer olim
 57 ludere clam solitus, virides nec spernere frondes.
 58 Nunc jacet et caelum spectat. Premit arduus ille,
 59 proceris gaudens per silvam insistere ramis.
 60 Permeat hic valles, longinquaque rura peragrat.
 61 Esurit ille rubos, fulgentibus imminet undis,
 62 nec toto satianda Tago sitis arida fervet.
 63 Ille ferox animi est, et torva fronte minatur.
 64 Ecce duo obnixi qui se se cornibus urgent ;
 65 Saepe graves silvis olim excivere tumultus,
 66 Nunc multo graviora parant, atque omnia turbant.
 67 Ecce duo morbo impliciti : niger iste quiescit,
 68 candidus ille silet ; scabiem fricat ille vetustam.
 69 Ille quidem, toto quem cernis ab agmine solum,
 70 natura generosus erat ; sed, non sua tondens
 71 gramina, sollicito tacitus terit avia gressu.
 72 Huic hostis generosus item, sed fractior aevo,
 73 contigerat ; mors alterius certamen utrimque
 74 conclusit. Non ille vadum torrentis aquosi,
 75 nec juga saxosi timuisset carpere montis.
 76 Dux gregis ille fuit, dum nostra reliquimus olim
 77 pascua ; primus iter rapidum per lubrica flexit,
 78 hortatus socios ; mox cetera turba secuta est,
 79 unde diu laetos vacui deduximus annos.

MITIO

80 Quid non longa rapit, saeculis fugientibus, aetas ?
 81 Decrevit grex ecce situ : quae culpa ? Quis error ?
 82 Immortale homini nihil est ; moriemur et ipsi.
 83 Ludere consilium, nec euntis temporis horam
 84 perdere segnitiae, curasque repellere inanes ;

85 ni forsan tibi nunc aliud, dilecta, videtur.
 EPY

86 Prorsus idem : quid enim restet ? Quae meta malorum ?
 87 Ambiguum, licet ille gravis promissa minasque
 88 iudicis inculcet, res pendet ; ludere praestat
 89 interea, et primam morti subducere partem.
 90 Quam sapiens sileo (semper tibi fida profecto
 91 hortatrix, atque una, fui) praesentibus uti
 92 et gaudere bonis, fato mandare futura,
 93 blanditiis profugam assiduis revocare juventam
 94 et retinere manu, properanti obstare senectae.
 95 Sed, si tangit amor pecoris, muliebribus aurem
 96 consiliis adverte tuam, nisi forte pudori est.
 MITIO

97 Dic, mea, dic, requies, thalami dic gloria nostri.
 EPY

98 Hos tibi fecundae matres peperere : quid heres
 99 sanguine in externo ? Veteri nova cornua serto
 100 floribus ex nostris ornabimus. Ipse latentem
 101 Pamphilus haud noscat fraudem ; nec degener istis
 102 sanguis inest, humilisque gregis vestigia servant.
 103 Liquitur hic luxu, non pingua pabula desint
 104 conjugiumque frequens ; implebit ovilia solus.
 105 Errantes studet ille senes transcendere cursu,
 106 et facit. Ille gregem longe post terga reliquit.
 107 Aspicias hunc tumidum ? Meditatur prendere truncos
 108 mordicus, et vacuas cornu jam verberat auras.
 109 Mitior hunc vultu sequitur ; mihi crede, sed ille est
 110 saevus et hirsuto multum truculentior apro.
 111 Me spectante, parem spoliavit conjuge nuper,
 112 et potitur camuris nunc naribus ac pede torto.
 113 Illum inopem, pavidumque procul per saxa fugavit.
 114 Hi turpes, rerum indocti, latitare videntur ;
 115 Sed sine consuescant, discent tot multa magistris.
 116 Hi duo : " Quid reris ? " Fatales dulcibus uvis,
 117 jam pingues, mustoque graves ; hos, pelle revulsa,
 118 persolves laeso (venient triaterica) Baccho.
 119 En tibi par aliud ; ratio famuletur amori,
 120 dignum laude licet, blandis prope lenius agnis.
 121 En quoque par longe varium ; pratum ille modesto
 122 dente metit, ramos patulos vorat alter hiatu,
 123 teque tuumque gregem rauca qui voce fatiget,
 124 meque fugare locis informi murmure possit,
 125 spumeus ac frendens, tunsoque simillimus urso.
 126 Hos tibi Romulei miserunt gramina saltus ;
 127 cetera de nostris veniunt tibi gaudia lucis.
 128 Hinc alii, atque alii accrescent ; fors prona favebit.
 MITIO

129 O pecudum decus eximium, reginaque silvae,
 130 perge, age, junge greges, et cornua flore rubenti
 131 his quoque circumda ; grex esse videbitur unus.
 132 Hunc tamen oblita es ; numeris ascribe merentem :
 EPY

133 invisam regione satum, quem florea vallis

134 paverit, et nostri spretorem miserit arvi :
 135 pellicis imperio premimur ; moribundus et unus
 136 introeat, spatiumque brevis non expleat anni.
 MITIO
 137 Iram frange, precor : nil unquam tale jubebo.
 138 Jam tranquilla redi, quoniam res magna peracta est.
 139 Pamphilus ut redeat, justas licet arte querelas
 140 abstulimus, tacitam maestus sibi sorbeat iram.
 EPY
 141 Multa quidem curis dedimus, jamque hora quietis
 142 nos vocat. Accelera ; glacies premat hispida colles,
 143 brachia nos nexi, molli jaceamus in ulva.

DIVORTIUM

GANIMEDES

B8 v.1 Quo fugis ? Expecta ; liceat condiscere causas
 2 discidii. Tu nostra puer, (nisi fallor), amabas
 3 pascua. Quo pastos abigis cum matribus agnos,
 4 ingrante atque oblite mei rerumque mearum ?
 AMICLAS
 5 Parce, parens, damnare tuum. Puer, ipse fateris,
 6 hac pavi regione gregem. Tibi laetior annis
 7 tunc animus fuerat ; nunc intractabilis, asper.
 8 Me quoque vivendo patientia prima reliquit.
 GANIMEDES
 9 Consilium solet esse senum, juvenumque voluptas ;
 10 Tu mihi deliras senior ; tum vallis amator
 11 unius, deserta vagus nunc avia tentas.
 AMICLAS
 12 Propositum mutat sapiens ; at stultus inhaeret :
 13 res, tempus, fortuna, locus firmata frequenter
 14 consilia alternant. Macie turpique veterno
 15 terga pecus confecta gerit ; squalentia sentes
 16 vellera dilacerant. Quid agam ? Nec pocula fontis
 17 tuta, nec herbarum morsus sucique salubres.
 18 Ipse aer suspecta mihi suspiria reddit.
 19 Quin justam permitte fugam, et miserere coacti.
 20 Nam potes. Ecce etenim veni ad tua gramina pauper,
 21 pauperiorque domum redeo, non lacte nec haedis
 22 auctior, invidia et solis jam ditior annis.
 23 Adde supercilii pondus, quod non gravis aequet
 24 Etna jugis, non Ossa rigens, non altus Olympus.
 25 Id prius aequanimis tuleram ; indignantior aetas
 26 est senium, rugaeque animos in verba ministrant.
 27 Triste senex servus ! Sit libera nostra senectus.
 28 Serva juvena retro est ; servilem libera vitam
 29 mors claudat ; memor usque mei subsiste valeque ;
 30 me fatum tentare meum sine pascua circum.
 GANIMEDES
 31 En animi servum memoris ! Sic omnia ventus

32 abstulit ? Has mereor grates, haec praemia reddis ?
 33 Ut nil praestiterim, multum, licet impar, amavi.

AMICLAS

34 Verba quidem verbis, res rebus ; purus amori
 35 sed solus debetur amor ; gratusque memorque
 36 sum, quia te semper, postquam mihi notus, amavi ;
 37 Et, dum vita comes, si quid mihi credis, amabo.

GANIMEDES

38 Quo properas igitur ? Quae te magis allicit ora ?
 39 Unanimes quae causa repens disjungit amicos ?
 40 Perdit enim servi nomen cui libera mens est.

AMICLAS

41 Aspice fagifero tangentem vertice montem
 42 nubila, tum gravida fontes tellure crepantes,
 43 unde ruens pelagis confunditur unda quaternis ;
 44 aspice praeruptum scopulis extantibus alte
 45 ire sub astra jugum. Lapis ille impervius olim,
 46 Punicus hesperio donec sibi pastor aceto
 47 fecit et igne viam, nostris pastoribus ingens
 48 diluvium stragemque ferens ; hoc forte per aestum
 49 solus ego ac sitiens nuper sub colle vagabar.
 50 Gillias erranti se se comitemque ducemque
 51 obtulit, et vivas digito direxit ad undas.
 52 Progredior, vallesque novas et pingua late
 53 rura noto, sed saepe oculos in terga reflectens.
 54 Jam latus hoc sordere mihi, jam turbidus aether
 55 cepit ad occasum, jam sidera maesta videri.
 56 Agnosco validum patriae revocantis amorem ;
 57 illic et violae melius per roscida pallent,
 58 per dumeta rosae melius redolentque rubentque,
 59 purior ac patrius illic mihi prata pererrat
 60 rivus, et Ausoniae sapor est jam dulcior herbae.

GANIMEDES

61 Spretam fides igitur comitum tam certa piorum,
 62 cum quibus et niveas laqueis viscoque columbas
 63 gaudebas, dammasque plagis tentare fugaces ?
 64 Cum quibus et Capreae soles, umbrasque Leonis,
 65 Et Tauri flores, et adultae Virginis uvas
 66 carpere, vel fando cunctantem impellere noctem,
 67 vel longum breviare diem sermone jocisque,
 68 et requie molli durum condire laborem ?

AMICLAS

69 Nil spretum, nisi silva ferox pastorque protervus,
 70 et gignens aconita solum, et maestissimus auster
 71 et plumbo infecti latices, et turbine tortus
 72 pulvis, et umbra nocens, et grandinis ira sonore.

GANIMEDES

73 An prius ista tibi tam longum ignota per aevum ?

AMICLAS

74 Nota prius, fateor ; tenuit me pestifer usus
 75 luctantem, me vester amor, me forma puellae
 76 blandior illecebris. Sed jam cum tempore sensim
 77 omnia mutantur ; studium juvenile senectae
 78 displicet, et variant curae variante capillo.

GANIMEDES

79 Hic vulgo jam notus eras, nec carior alter
80 vel mihi vel sotiis ; silvis errabis in illis,
81 Et mecum mansisse voles cupiesque reverti.

AMICLAS

82 Nil penitus non esse potest ; fortuna gubernat
83 res hominum, valet illa piis obsistere coeptis,
84 illa favere malis. At, si praesagia quicquam
85 nostra ferunt certi, levis est ad prima recursus
86 principia. Huc genitor profugus me ruris aviti
87 finibus infantem rapuit, ripaque palustri
88 exposuit miserum atque abiit. Per quattuor inde
89 servio lustra tibi ; nulla est injuria justus
90 libertatis amor ; patrii quoque cura sepulcri est
91 tempestiva seni. Jam tandem absiste precari,
92 atque iterum, pater alme, vale, dextramque relaxa.

GANIMEDES

93 Ah ! miser. Et merita quis te cum laude canentem
94 audiet, aut levi describet carmina lauro ?

AMICLAS

95 Expectando quidem fessus raucusque canendo,
96 attuleram, vereor, vocis fastidia nostrae.
97 Fors aliis placiturus eo ; non una per omnes
98 est hominis fortuna dies. Nunc mane quietum
99 turbida lux sequitur ; nunc matutina serenus
100 nubila vesper agit. Sic tempestatibus atris
101 tutus adest portus ; sic litora puppe tenentes
102 tempestas inopina ferit. Spes, terror ubique
103 juxta habitant ; fortuna vaga est et protinus, inter
104 quamvis pressa manus, ceu lubricus effluit anguis.
105 Nil habet ista magis tua nunc opulentia certi
106 quam mea paupertas ; ubi pluris signa favoris
107 Et minus est fidei. Sed jam me Gillias, audi,
108 sollicitat damnatque moras, et Phoebus hiberum
109 vergit ad oceanum, montem nix occupat altum.
110 Balatu moveor pecoris, nec candida dulci
111 mugitu ingeminans cessat revocare juvenca.
112 Ire libet ; liceat ; nusquam sunt carmina tanti.

GANIMEDES

113 Men juvenem pavisse domi et finxisse docendo,
114 ut doctum nova silva senem, novus hospes haberet ?
115 Sic labor agricolis longus, brevis inde voluptas :
116 arva domant aliis. Sic fessus nauta quietis
117 invehit ancipiti delatas aequore merces.
118 Nosco meum sidus : aliis utenda paravi.
119 Fatum agnosco tuum : primis nam pauper ab annis
120 pauper eris senior, pauper morieris, Amicla.
121 I, tamen ; ipse meis (quando hoc immobile votum est)
122 te sine, quod nollem, jam solus pascam acervis.

AMICLAS

123 Ipse per aestatem mediam, vel colle virenti,
124 valle vel umbrosa, nitidique in margine fontis
125 solus Apollinea modulans sub fronde sedebo,
126 lanigerumque gregem pascam, et loca florea circum

127 mellificas imitabor apes. Te dives habebit
128 silva, sed urentes turbabunt otia curae.

QUERULUS

PHILOGEUS

B9 v.1 Heu lacerae fragmenta domus ! Heu sidus agello
2 triste meo ! Quid votivi nunc stirpibus imbres ?
3 Quid pecori studium ? Segeti quid lenior aura,
4 aut soles valuere pii ? Sors aspera ruris
5 semper, et immenso tenuis fortuna paratu !
6 Agricola infelix, ubi primum cornua tollens
7 floriger annus adest, circum sua gaudia fertur,
8 rastra manu versans rigida scabrosque ligones ;
9 urget in arva boves, sulcoque annixus inhaeret.
10 Inserit hic ramos, herbas hinc ungue nocentes
11 vellit, et utilibus lolium secernit avenis.
12 Hinc fodit et ripam bellis brumalibus armat ;
13 Inde leves prono devertit tramite rivos,
14 nil vel inexpertum linquens, vel segniter idem
15 expertus, sed cuncta nimis. Tum nubila ab austro
16 suspicit, et secum pluvias incusat inertes,
17 tranquillosque dies operi ventosque faventes
18 invocat, ac caelum precibus votisque fatigat.
19 Heu ! misero. Postquam sudore exhaustus anhelus
20 spes cernit florere suas jamque horrea laxat,
21 ecce, fremens, sata culta truci vertigine nimbus
22 obruit, et longos anni brevis hora labores
23 una necat, pereuntque seni sua somnia fesso.
24 Adde peregrinas volucres populantia campum
25 agmina, tectorum lapsus, incendia, fures ;
26 adde gravem morbos nebulam mortesque pluentem,
27 innumerosque gregis casus, hominumque ruinas.
28 Qualia nunc flemus maestis ! Et vix flere relictum est,
29 ora metus mortis quoniam trepidantia claudit.
30 Heu ! Heu ! quo me cura tulit ? Quo caecus habendi
31 traxit amor ? Poteram vulgo quot tutius artes,
32 quot rerum tentare vias ! Cur ultima lecta est ?
33 Paupertate labor mixtus, semperque malignam
34 scalpere tellurem, querulasque optare cicadas ?

THEOPHILUS

35 Quid gemis ? Aut quaenam usque adeo fortuna molesta est ?

PHILOGEUS

36 Quid gemis ? Heu mea rura vides ? Fons ecce laborum
37 atque operum ! Spes ecce meae ! Quid vivere longum
38 fert homini ? Nec desinimus nocitura precari.
39 Quae modo dumivagis fuerant angusta capellis
40 antra, vacant ; rareque procul languentis oberrant
41 relliquiae armenti, quas mors violenta per orbem
42 spargit et insequitur ; non aequoris obice vasti,
43 non caeli terraeque situ, non denique totis

SILVANUS

32 Nec novi, nec nosse velim ; mihi laurea curae
33 sola fuit. Sed jam, Socrates : " Ignosce " gemendum est.

SOCRATES

34 Imo age, perge, precor ; pariter lacrimabimur ambo,
35 et pietas communis enim et jactura dolorque.

SILVANUS

36 Laurea culta mihi, nec me situs asper et horrens
37 arcuit incepto ; propriis nec viribus ausus,
38 externos volui consultor adire colonos.
39 Nec longae tenuere viae, nec tempus iniquum
40 ac durum tardavit opus. Vulgata tenebam
41 Ascraei consulta senis ; tamen altius ire
42 mens erat, ac variis artem solidare magistris.
43 Dux mihi nullus erat, nisi amor fervorque videndi.
44 Primum iter in Latium, qua pulcher Mincius uda,
45 formoso de patre oriens, interluit arva.
46 Hic Venetum celsis extantem in milibus unum,
47 pastorem agricolam bellatoremque vicissim,
48 conspiciens, dextrae modulantem in vertice ripae,
49 accedo et brevibus percontor plurima verbis.
50 Jussus ab hoc Asiam Graiasque invisere terras,
51 vix Athesim attigeram, patrii qua limina montis
52 deserit et laetos fugiens amplecitur agros,
53 ecce Veronei per prata virentia Martis
54 ire duos video ; canit hic, legit ille salubre
55 herbarum genus et pecori bonus applicat aegro.
56 Progredior ; calidusque Aponus gelidusque Timavus
57 jam spatiis aequis aberant, dum pervigil alas
58 intempestivum quatiens dominoque molestum
59 perstrepuit laevo villae de culmine Gallus ;
60 mox, baculo excussus, mastum cantoribus omen
61 praebuit. Hinc nullo resonantia litora cantu
62 procurvosque sinus tacitus sequor. Obvia tandem
63 rura sonora animum vocemque et verba dedere.
64 Laetior illa lego. Smyrnam sub fine viarum
65 perventum, caecumque senem, sed multa videntem
66 convenio. Isque, Italo missum ut cognovit ab orbe,
67 prosiluit dextramque dedit, nemorumque profundo
68 accubitu et fusca fessum statione recepit,
69 attonitumque manu penetralibus intulit umbris.
70 Figo oculos et cuncta libens et singula circum
71 visa noto, cupidumque fruor sermone senili
72 insolitus. Dii, qualem hominem ! Quid divite caelo
73 subtrahitis terrae rarum breve munus egenti ?
74 Hunc magni circum comites, lectissima turba,
75 stabant. Juxta autem cuntis sublimior unus,
76 cui grege de toto supremus cesserat hircus,
77 fortunas casusque ducum regumque canebat.
78 Nec casum tamen ille suum sortemque repostam,
79 nec tristes in terga canes instare videbat,
80 Regibus attonso flendus post fata capillo.
81 Juxta alter senio infractus juveniliter alta
82 voce canens ; furere hinc dictus, sed voce furorem

83 diluit et falso quaesivit crimine laudem.
84 Sacra, sacerdotes canit hic ; ille arma tubasque :
85 inde deum favor, inde virum. Per Lesbia captum
86 rura lupum salvumque gregem, jaculoque lyraque
87 fretus, et hinc clarus factis, hinc cantibus alter.
88 Altera solliciti laqueos cantabat amoris
89 docta puella, choris doctorum immixta virorum,
90 cinnameus roseo calamus cui semper ab ore
91 pendulus, et dulces mulcebant astra querelae.
92 Hanc Cous late cantata Bacchide notus,
93 hanc Clarius caram suspirans carmine Lyden,
94 Et quem Cyrenis genitum dedit Africa Nilo ;
95 hanc Theius Samio pastor stupet igne liquescens ;
96 nec minus hanc nostrique procul mirantur amantes,
97 voce omnes humili et querula, simul impare cantu.
98 Pone senex pueri in gremio, vix mole soporis
99 lumina pressa movens, lenibat cantibus auras ;
100 mox siluit victus, cesserunt carmina somno :
101 argutum Dircaea palus amisit olorem.
102 Vidi Sidonio pastorem rure profectum,
103 annua quem morbi vis extinctura diebus
104 angeret alternum natalibus, ultima donec
105 una animam doctosque modos abrumperet hora.
106 Unum ibi Cecropii contemptum in gramine saltus,
107 ingenio rectum, claudum pede, voce calenti
108 Spartanos in bella canes accendere vidi ;
109 unum voce parem summis, per litora longe
110 solum, qui populo leges et jura dedisset,
111 jamque senex Musis operam daret, urbe relicta.
112 Vidi aquilam calvi circumvolitare sedentis
113 ore caput pleno, simul illum lumina campo
114 defixum, immota meditantem carmina fronte.
115 Vidi, expectatum ut caneret dulcedine multa,
116 obriguisset senem, vocemque in faucibus imis
117 arctatam. Musas animam rapuisse putares,
118 sic cubito incumbens similisque erat ore canenti :
119 fistula pallenti pendebat muta labello.
120 Hunc alius, Musis qui pastor amicio almis,
121 sed minus acceptus silvis et victor ut arte
122 iudicio sic victus erat, de more solebat
123 victorem ridere suum : quod iudicis aequi
124 carmen inops, quod fama vagis incertior auris.
125 Vidi qui fixas raperet spes, adderet iras,
126 cogeret ad certam flammanti carmine mortem.
127 Vidi alium, silvis pulsum, mox carmine dulci
128 extinxisse odium. Quid enim vim carminis aequat ?
129 Temnere opes tanti causam preciumque laboris
130 vidi aliquos, artesque bonas celebrare ; sed inter
131 hos fuit ampla sacri lege hac qui jura parentis
132 stringeret ; hoc merito doctas laudaret Athenas.
133 Vidi qui mulctro assiduus numeroque superbus,
134 lacte premens fragilem fiscellam rumperet acri ;
135 qui nova mactatis oneraret plaustra juvenicis ;
136 qui sale terga boum tereret laniata rigenti,

137 et qui sparsa sedens pastorum furta notaret ;
 138 Biblida qui vetito cantaret amore furentem ;
 139 qui caneret solem ac lunam, stellantiaque arva
 140 scinderet et volucris caelum sulcaret aratro ;
 141 qui vivos plectro lapides aptaret ovili,
 142 colle sub Aonio funestae ad pabula ripae ;
 143 quique palaestrita et pictor primoque sub aevo
 144 cantor, ad extremum cursorque aucepsque fuisset ;
 145 quique illi fesso tandem et dormire paranti
 146 ex levibus calamis pulvinar stravit amoenum ;
 147 quique, truces cantu solitus mulcere leones,
 148 justitia et cithara insignis, venerabilis annis,
 149 incola silvarum primus, quem Thracia vidit
 150 aeriam dulci Rodopen dum voce moveret,
 151 praecipitem fidibus blandis dum sisteret Hebrum.
 152 Huic duo per montes auritaque rura canenti
 153 perpetui comites ; dextrae germanus inhaeret,
 154 filius at laevae ; tegit illum linea vestis,
 155 iste, sacer musis, plenum de fonte reposto
 156 atque pium cratera patri porgebat anhelos.
 157 Inde canum pecudumque fuit volucrumque ferarumque
 158 arguti frigis ad numeros spectare choream.
 159 Denique Graiorum latebras, Asiaeque vireta,
 160 Hebraeosque graves et carmine trita minaci
 161 gramina Jordanis peregrinaque nomina lustrans,
 162 mollia rura Arabum salis indiga ditia mellis,
 163 affixusque oculis animoque intentus ubique,
 164 vidi alios atque inde alios. Non omnia passim
 165 visa sequor. Vidi Sicula regione creatum,
 166 ac socios, quibus horridulum cantare voluptas
 167 prima gregem, latebrisque minas vitare leonum ;
 168 quique alios supra tenet ortum a carmine nomen ;
 169 quique gregem calida gelidus male pavit in Aetna ;
 170 qui docet Ephesios, Tyrios qui rumpere campos.
 171 Docto ac dulcisono divulsus ab agmine, tandem
 172 flector ; ibi unum omnes, nemorum quem turpis habebat
 173 angulus, et tenui ridebant pascua nutu,
 174 nudus ut ille jugis Macedum raucumque canendo
 175 indignum magni praedonis rettulit aurum.
 176 Sed quid ago ? Aut patriis quorsum peregrinor ab arvis ?
 177 Doctior inde domum ; fesso dum remige portu
 178 Brundisii egresso juvenis placidissimus alto
 179 occurrens trepidam porrexit ab aggere dextram,
 180 maternumque ostendit avum per rura jacentis
 181 Apuliae Calabrumque nemus sub valle Galaesi,
 182 ingenio agricolam nulla tamen arte colentem
 183 plana virum video. Nec secum multa locutus,
 184 eminus Aruncaeque ducem populumque saluto,
 185 moris aratores veteris ; quaque Aufidus aequor
 186 fertur in Adriacum, patrio sub sole perustum,
 187 libertum dominoque lyra gregibusque placentem
 188 alloquor. Inde alius gelidi Sulmonis alumnus
 189 multa jocans, longamque aciem per opaca latentum
 190 ostendens digito, fuscis aperire recessus

191 tentavit frustra. Vultus densissima nubes
192 texerat ambiguos, dubium vix murmur ad aures
193 aura tulit. Quantum in nobis oblivia possunt !
194 Unus in hoc numero, gaudens se condere vivo
195 fonte, deos nemorum fluviorum arsisse puellas ;
196 aequoreosque alius memorabat carmine nostro
197 insuetum cecinisse deos ; aliusque vicissim
198 montanum imparibus carmen variabat avenis.
199 Hinc procul, et Latio et Musis carissimus afris,
200 fluctivagos alius numerans sub gurgite pisces,
201 aurea plectra, apio cinctus viridante, movebat.
202 Hinc alius, rutilumque crocum et candentia carpens
203 lilia, tum varios jungebat in ordine flores.
204 Multa libens sileo. Sed jam mihi nota tenenti,
205 longa brevi stringens aderat suspiria cantu,
206 paupertas quem tuta juvet, quem delius ardor.
207 Calvus amans alius, restinctam carmine flammam
208 flens quasi supplicium properataque tempora fati ;
209 accensamque alius, dubium Romanus an Umber :
210 Umber erat, variaequae minax et blandus amicae.
211 Notior inde alius fluviali occurrit Aquino,
212 turbidus aspectu et ruralibus horridus armis ;
213 Arpinati alius silva, cui pauper amictus,
214 victus inops ac difficilis, sed laeta canenti
215 frons erat et nullo vitae turbata labore.
216 Protinus hinc geminae tangebant sidera quercus,
217 unde salus pecori bis contigit, altera dextrae
218 altera laus linguae ; magnos brevis herba juvencos
219 fecerat ; una duos contexerat umbra gigantes.
220 Hinc quoque vidi alium campano carmina fastu
221 implentem et multum gracili sibi voce placentem.
222 Sic, venerabundus, dominantis limina Romae
223 ingredior. Stupor hic tremulam suppressit avenam
224 pila inter tristesque tubas strepitumque rotarum.
225 At studio rerum Latia dum demoror urbe,
226 forte procul tenuem dubia vix aure susurrum
227 grandaevi senis excipio, doceorque paternis
228 hunc primum cecinisse modis. Audentior alter
229 posteriorque ; humili quamvis de stirpe parentum
230 ortus et Adriacum jussus migrare Pisaurum,
231 posthabuit quem tunc horrebant undique colles,
232 agrestem summo imperio praeponere musam
233 Non veritus facilique hederæ submittere lauros.
234 Hic alienigenam servum, quem carcer honestus
235 fecerat ingenuum multaque ornaverat arte,
236 audivi cantare hominum moresque dolosque
237 atque metus curasque senum et juvenilia furta
238 lenonumque artes, jam tempore murmuris Afri
239 oblitum, atque Italo textentem pectine carmen.
240 Hic cui relligio silvestris et inclita rerum
241 copia et ignoti nihil usquam, ut prisca ferebat
242 Fama, sed Aesonides carmen cum vellere fulvo ;
243 qui canit Alcidem ; qui Thesea ; quique, cruentis
244 fratribus in campum adductis, ad mollia castra

245 transfugit occultus blandumque cupidinis agmen.
246 Relliquias qui, Troja, tuas et frusta legebat
247 Maeonio neglecta seni. Qui prole decora
248 conjugio memori studiosum ornaverat usum ;
249 qui mensas versuque gregem laceraret edacem,
250 Et qui laudatae caneret convicia gentis.
251 Parcior hunc nono pascebat caseus anno ;
252 hunc videas dextra rigidam gestare securim,
253 ornantem officii generoso gutture pompam.
254 Hunc gravitas ; illum censura severior effert.
255 Hic tenui vinclo profugos qui nexuit annos,
256 saecula Pierio nisus cohibere furore ;
257 pennatas Musas qui Martia traxit ad arma,
258 Punica dum Latio ferveret in orbe procella ;
259 indixit qui bella feris, silvasque tumultu
260 miscuit, apta vagis cudens venantibus arma ;
261 tramite qui largo Trojanum Anthenora colles
262 duxit ad Euganeos ; necnon, comitante marito,
263 bis raptam fessis Helenam qui reddidit Argis ;
264 Phyllida qui querulam ; Phaeacum voce Latina
265 luxuriam moresque canit ; quique Hectora supra
266 Ilion eversum Trojamque a stirpe revulsam ;
267 quique nurum dotemque Jovi convexit opimam.
268 Linquo senem, qui discipulum per prata sonorum
269 Hesperiamque tubam docto conflaverat ore.
270 Linquo virum fortem, posita qui casside, maestus,
271 sed jussus plenusque irae saliebat honestae ;
272 unde alium domini vidi meruisse favorem.
273 Hic quoque, nam meministi, miserum solabar amantem,
274 amentemque magis, cui vis erat ampla canore
275 vocis et ingenii magnus sub pectore torrens.
276 Ast amor exitio pastorum publica pestis,
277 blandus ubi immitem peperit furor ille furorem.
278 Forte oculos avidumque animum septena per antra
279 nobilibus famosa jugis et opaca moventi,
280 collis, ubi Arcadiae celeberrima carmine nympha
281 arte patrum curas fugitivaque verba ligarat,
282 monstratur, celsoque virens in vertice laurus
283 admonuit nostrae et dulcem renovavit amorem.
284 Tum frondosa, ingens ramis, altissima fagus
285 optatamque gregi gregis ac ductoribus umbram
286 fundebat, volucrum sedes aptissima nidis,
287 assiduumque sonans varioque exercita cantu.
288 Atque hic, multa jubens, e sede verendus acerna,
289 formosusque gigas lucum omnem fronte serena
290 et pastoralis rus majestate regebat,
291 otia ni desint, nulli usquam voce secundus.
292 Dulciter ille quidem (quanquam raucescere curis
293 Musa solet) sed rara canens, frontesque canentum
294 exornans niveis vittis et fronde perenni.
295 Ille, ubi pastoris properatum funus amati
296 flevit, inexplicitum carmen mandasse duobus
297 fertur, et angusta limam sub lege dedisse :
298 jusso alacres instare operi, rerumque suarum

299 immemores, aliena manu tractare magistra
 300 conspiceres, laudemque alii, sibi velle laborem.
 301 Tres nemorum dominos et eodem caespite, Musis
 302 intentos gregibusque simul, spectare decorum,
 303 dulce fuit. Quorum unus iter cantabat acuta
 304 voce suum ; niger ille oculos gestuque venusto,
 305 pastorum pavor ac stimulus. Contra ille secundus
 306 totus amor, placida doctus nil fronte negare.
 307 Tertius impexis aestus et frigora et imbres
 308 assuetus perferre comis ; qui, multa videndo,
 309 omnes ambierat silvas, cycneaque serum
 310 carmina jam properans vicina morte canebat.
 311 Longe ibi trans fluvium, regum inter busta seorsum,
 312 unus erat, rutilus divini ruris arator,
 313 qui pinguem scabro sulcabat vomere campum.
 314 Huic comes hinc prudens, hinc sedulus alter aranti
 315 certabant rigido glebas confringere rastro.
 316 Terra ferax fessique boves et laurea nusquam,
 317 nusquam hederæ, aut myrtus, viridis non gloria serti,
 318 non studium Musæ, fragilis vox. Area sacro
 319 fonte recens, atque alta domus ; tum pinea late
 320 silva virens dulcesque oleæ ; gremioque decorum
 321 clara fovens roseo puerum stat limine virgo.
 322 Hic matrona fuit, ortis quæ lecta remotis
 323 vimineis calathis templo aurea poma sacra vit.
 324 Mira loquar supraque fidem ; sed carmina vidi
 325 hic hominis pariterque aquilæ bovis atque leonis
 326 Hispanum nostra modulantem voce juvenum.
 327 Procedo, jam ruris opes visurus Etrusci :
 328 hinc mihi Vulterris juvenis fuit obvius altis,
 329 cultor agri rigidus ; patriæque in moenibus alter
 330 lenior, at sterilem versando expertus arenam.
 331 Cuncta dehinc inculta jacent ; adversa sed inter
 332 imus ad Hispanos cultus. Est Corduba testis,
 333 civis et alta canens ad solem vertice nudo,
 334 nil patrii sermonis habens, nil frontis Hiberæ.
 335 Testis et Emerita est, et Bilbilis, atque vadosis
 336 Gadibus ora tepens, noctem quæ sera diemque
 337 ultima surgentem solem videt atque cadentem.
 338 Hinc ego Burdegalam repetens, in litore cerno,
 339 æquor ubi ambiguum refluo ferit amne Garumna,
 340 multiloquum magnumque senem, quem templa Vasati
 341 nominis Ausonii dederant. Urbanior inde
 342 unus, aquis ubi fessus Atax languentibus exit,
 343 occupat eloquio ; notus procul ille Larissæ,
 344 notus apud Thebas. Sed enim Tiberina Latine
 345 docti omnes per rura loqui ; tuque, inclita Narbo,
 346 carmina piscoso referens accepta Benaco.
 347 Sum nimius ; sed visa trahunt, ignosce, tenentque.
 348 Dulcia postremo tuguri vix limina parvi,
 349 orbe peragrato, et laurum mea regna revisi...
 SOCRATES
 350 Undique convectis ornans, reor, artibus illam.
 SILVANUS

32 optima pars eadem ? Dextras adhibete precanti,
 33 siqua fides mundo est, pietas seu prisca superstes.
 34 Heu ! lapidem infestum qua nunc, soror, arte revolvam ?
 35 Irruam in amplexus, figam oscula ; dulce cadaver
 36 hoc referam moribunda sinu, fotumque sacellis
 37 inferam et arcanis divum penetralibus abdam.
 38 Addam perpetuos celebret quos mundus honores ;
 39 virgineos addam coetus, ritusque verendos
 40 et sua sacra deae ; nec fax nec carmina deerunt,
 41 femineas longe lateque sonantia laudes.
 42 Heu mihi praedurum lapidem, grave pondus inersque !
 43 Deficio sub fasce, soror, nitensque fatisco.

FULGIDA

44 Surge, soror, surge ; sacrumque cadavere corpus
 45 commaculare cave. Placeant praesentia ; frustra
 46 praeteritum expectes ; tuta est oblivio amanti.
 47 Nempe hesternus dies ulla nequit arte reverti ;
 48 Mors adimit curas, mors omnia vincla resolvit.
 49 Jam satis est fletum, nostros mors fregit amores.

NIOBE

50 Fregissetque utinam nostros mors aequa labores !
 51 Speravi, prope nam steterat ; miseramque fefellit.
 52 Vivo, sed infelix, et luctus servor in omnes.

FUSCA

53 Parcius ! En laevo tristis tibi fulgida calle
 54 advenit, et tacita castigat fronte querelas.

FULGIDA

55 Quid, miserae caecaeque animi, mortalia fletis
 56 tam graviter ? Quid fles, Niobe ? Quin incipe vitam
 57 scire pati, quamcumque dedit sors dura dabitque.
 58 Et me torquet amor, desiderioque meorum
 59 permoveor. Sed quid facias ? Arma irrita calces
 60 adversus stimulum ; melior patientia pressis ;
 61 multa sibi facit ipse animus leviora ferendo.
 62 Quid gemitis ? Moritura fuit Galathea ; deinceps
 63 immortalis erit. Proprio tabescere damno
 64 non amor ; alterius sortem lugere secundam
 65 invidia est. Quantum nobis decesserit omnes
 66 scimus, et ingrato quantum decesserit orbi ;
 67 sed ferimus. Vos desinite, ac meliora tenentem
 68 suspicite, et caelum terris optate relictis.

FUSCA

69 Fabula ! Quis alis caelum terrestria prenent ?

FULGIDA

70 Aethereis ; sic terra suum, sic astra reposcunt.

FUSCA

71 Credulitas vulgata quidem ; nos certa probamus.

FULGIDA

72 Fusca, locis imis habitas ; nos summa tenemus,
 73 et caeli terraeque situm speculamur ab alto.

NIOBE

74 Ambages veteres et inenodabile verum
 75 mittite, et integram venturis tradite litem.
 76 Fulgida, quin potius (Musas nam noscitis agrestes)

77 dic titulum busto, relegat quem senior aetas.

FULGIDA

78 Hic liquit Galathea suum pulcherrima corpus ;
 79 libera jamque polos et regia tecta Tonantis
 80 ipsa quidem superumque choros mensasque frequentat.
 81 Mors roseos artus, mors candida colla genasque
 82 sidereosque oculos tetigit, vultusque serenos
 83 obscura demersit humo. Mortalia quisquam
 84 diligit, aut speret stabiles hic figere plantas ?
 85 Quid genus, aut probitas? Quid opes? Quid forma? Quid aetas ?
 86 Quidve decens cultus ? Quid gloria nominis ingens ?
 87 Omnia contigerant ; manus abstulit omnia mortis.
 88 Nuda, domum repetens, e carcere fugit amato.

NIOBE

89 Nuda quidem minime, quam gloria vestit, amictus
 90 clarior assidue longisque recentior annis.
 91 Hanc quaecumque sibi vultuque animoque per aevum
 92 aut cantu aut sermone placens cupiensque placere,
 93 deferet ante oculos ; hanc nos, dum spiritus iste
 94 artibus haerebit miseris et vivere coget,
 95 hanc, vel apud Manes nebulosaque flumina Lethes,
 96 exemplarque pudicitiae formamque decoris,
 97 Corde sub hoc semper memori pietate feremus.
 98 Tum nostro, Galathea, tuum de pectore nomen
 99 exhibit, fugient propriis dum sedibus astra,
 100 mellis apes studium linquent, nidosque columbae,
 101 conjugium turtur, praedam lupus, arbuta caprae,
 102 custodita dolos mulier, mendacia servus.

CONFLICTATIO

MULTIVOLUS

B12 v.1 Quae nova fers, Volucer ? Quisnam stupor ? Unde vehis te ?

VOLUCER

2 arduus in tenero pingues Pan gramine tauros
 3 et molles pascebat oves ; Pan maximus olim
 4 pastorum et silva late celeberrimus omni,
 5 faustula quem complexa sinu mulcente fovebat.
 6 Viderat hunc fusca gelidaque sub ilicis umbra
 7 Articus armipotens, secumque haec, turbidus ira :
 8 "Hucine perpetua gaudentem pace videbo,
 9 securoque sinam resupinum stertere sommo ?
 10 Sit satis hanc novi, (dextramque erexit in altum)
 11 excutiam madida cerebri de sede soporem".
 12 Dixit, et omne fretum refugasque exterruit undas,
 13 horridaque extremis vox est audita Britannis.
 14 At, sonitu ingenti penitus torpore fugato,
 15 Pan caput extulerat, gremioque innixus amicae,
 16 multa prius secum frendens, ac multa volutans :
 17 "Unde" ait " ista tibi tam insulsa superbia, demens ?
 18 Unde furor ? Nescis vires, stolidissime, nostras ?

19 Spernis opum cumulos, spectatos spernis amicos ?
 20 Experiere quidem ; serum tentasse dolebis".
 21 "Fidus avaritiae nunquam continget amicus,
 22 (ille refert) at divitiae sunt premia belli.
 23 Hisne putas tardare minis ? Incendis et urges.
 24 Desine, nec ventos, nec turgida verba timemus.
 25 Est animus, sunt arma mihi, dubiisque probatum
 26 pectus amicorum. Sunt qui tibi terga, jubente
 27 me, feriant, dextrumque premant latus atque sinistrum ;
 28 ipse genas frontemque manu baculoque retundam.
 29 Non tibi par animus, non est manus apta duello".
 30 Pan timuit, flectensque oculos, hinc aspicit atque hinc
 31 intonsis instare ferox pastoribus agmen.
 32 Sustulit horrificam vocem, qua flumina et agri,
 33 et mare vicinum infremuit, collesque remoti ;
 34 ac procul aeriam clamor pervenit ad Alpem.
 35 Undique conveniunt, et qui per frigida Tempe
 36 herbivagos aluere greges armentaue belli
 37 grata deo, et qui lanificae dilecta Minervae,
 38 et qui frondipetas nemoroso monte capellas
 39 glandilegosque sues et amantes prata juvencos.
 40 Turba ingens ; unoque omnes in gurgite tandem
 41 sordidulum lavere pecus, qua rura secanti
 42 dux Italus fluvio dedit aurea cingere templa.
 43 Tot deerant alimenta viris, nisi Pana virili
 44 faustula sollicitum curarum parte levasset ;
 45 nam grege de magno decimum largissima quemque
 46 obtulit, atque famem sedavit pinguibus edis.
 47 "Ah ! meretrix, " obliqua tuens, ait Articus illi "
 48 immemorem sponsi cupidus quam mungit adulter,
 49 haec tua tota fides ? Sic, sic, aliena ministras ? "
 50 Erubuit, nihil ausa palam, nisi mollia pacis
 51 verba ; sed assuetis noctem complexibus egit,
 52 et tacitam submisit opem. Muliebribus ardens
 53 atque imbuta odiis, occultas ruminat iras ;
 54 at gelido stat flamma metu. Jam brachia uterque
 55 pastor ad ambigui certaminis orsa parabat ;
 56 jam studiis adversae acies, jamque arma fremebant.
 57 Quaeque suos vocat ore deos : haec moenia Trojae,
 58 arturumque canit ; pugilum canit illa labores,
 59 monstrificumque refert Carolum. Tum jurgia late
 60 jactantur, toto volitant convicia caelo.
 61 Pan fraudes pensique nihil fandique pique,
 62 (nota quod infamis testetur fabula caudae)
 63 obicit, exiliique locos et inhospita tesca
 64 hostibus humani generi, linguaeque trementis
 65 barbariem, et rauco crepitantia verba palato.
 66 Ille autem : "Tibi verba placent, mihi facta relinque.
 67 Et tamen expediam nodosa volumina linguae,
 68 et loquar ecce aliquid ; faciet res ipsa disertum :
 69 tene tegis digito ? Perjuria, furta, rapinas
 70 novimus, oppressos homines, elusa deorum
 71 numina, quae dignas tandem me vindice poenas
 72 exposcunt ; orantque preces lacrimaeque perorant

73 quas anus infelix, mulier miserabilis, expes,
74 pollicitis decepta tuis, noctesque diesque
75 fundit, et ingratum queritur deserta nepotem,
76 serva canum. Tu prima quidem, tu summa malorum
77 causa, negas ? Scelerum semper tu perfidus auctor,
78 induis arma fremens, eadem mox abicis arma.
79 Illa gemit surdumque vocat, non irrita justo,
80 spes ubi nulla tui, mittens suspiria caelo.
81 Mater et ipsa dolens rogitat miseraeque sorori,
82 increpitans te, poscit opem, fratresque superbo
83 affusi maestique greges silvaeque precantur.
84 Quem non movissent ? Sed inexorabilis unus,
85 durus, inhumanus, ferox, horrens despicias omnes.
86 Quid tamen officio retrahit, nisi pectoris ardor
87 impius et fulvi sitis importuna metalli ?
88 Scilicet attonitus fulgenti incumbis acervo.
89 Hinc stupor ille oculis, hinc illa oblivio menti
90 caelestum atque animae. Sed quem tibi crimina finem
91 promittunt, audi ; nam saepe illustra multum
92 multum animos exempla movent : in flumine Tusco
93 pastor avarus erat, quem par sitis impulit, aequi
94 federis oblitum, patrios transcendere saltus.
95 Occidit is merito. Gravis at contagia culpae
96 immeritum parili traxerunt turbine natum,
97 infaustumque gregem innumeris texere sagittis.
98 Nunquam, si fidei vel si memor ille decoris,
99 parcius aut sitiens, tanta cum strage suorum
100 Assyrias gustasset opes aurique sapes".
101 Articus haec torrens. Motus Pan talia contra :
102 "Si vacat exemplis tempus dare : saevus Eoem
103 pastor ad Euphratem fuerat, cui sanguine fuso
104 esset," inhumanum ! "sitiens horrenda voluptas.
105 Ille ferox similisque tui confinia ruris,
106 saevitia stimulante pari, dum despicit ampli,
107 incustoditos viduae transcendit in agros,
108 incautumque neci natum dedit. Anxia mater
109 omnem continuit fixa sub mente dolorem,
110 evomitque simul. Pastor temerarius ictu
111 feminei mucronis obit, truncusque gelato
112 non aurum bibit ore nitens, sed pocula Martis,
113 concretam saniem et tepidum de caede cruorem".
114 "Ergo, age ; quando pares exemplis, (Arcticus infit)
115 braccia tentemus, succedant verbera verbis.
116 Quid, modo Colchorum, volucres, orientis odores ;
117 quidve gulae et ventris irritamenta capacis
118 omnia ? Quid pelago vehementer echinus, inersque
119 rhombus, et ornati squamis rutilantibus, olim
120 ferreus aurata quos fixerit hamus arena,
121 sub Venetis clam mersus aquis ? Quid vulnere crebro
122 si qua vel Hispano natat ingens belua ponto,
123 vel Lybicis jactata vadis, peregrinaque monstra
124 profuerint ? Quid palmitibus seu dempta Falernis,
125 seu Ligurum decerpta jugis ardentia vina ?
126 Quaeque ferax gemino transmisit colle Vesevus

127 dolia, praecipiti rapidum spumantia musto ?
128 Quaeque dedit Meroe, soli subjecta propinquo ?
129 Praeterea, quid lenta quies, quid mollis in umbra
130 et sopor et rauci per florea gramina fontes ?
131 Omnia in exitium vertent, et blanda voluptas
132 conficiet bellum. Mulier tua sola juvare
133 te volet et poterit ! Validum prius aegra leonem
134 sternet ovis, prius armigerum Philomena tonantis."
135 Dixerat. Ille autem : "Quorsum per jurgia tandem ?
136 Quid tecum commune tibi ? " "Nil " Arthicus inquit "
137 nil tecum commune mihi ; nam, iudice fato,
138 destituunt victum, victorem cuncta sequuntur.
139 Hujus in arbitrium non nostra sponte venimus ;
140 tu cogis, tu justitiae contemptor et aequi,
141 quem caecum fortuna facit pariterque superbum.
142 Quid tua nunc numeras ? Tumidos quid volvis ocellos ?
143 Undique venturos jam jam tibi fingis amicos ?
144 Obstruxit tua fama vias ; in tempore jussi
145 tum (mihi crede) aderunt, lentus dum luce sub una
146 gramine Caucaseo pastus bibet agnus Hiberum".
147 Haec dicens, mediae pedibus jam stagna paludis
148 frangebat. Pan contra aditus et ovilia saepsit
149 vepribus, et fluvio circumdedit antra sequaci.
150 Transierat ; subitoque ingens per rura tumultus
151 exoritur. Timui, fateor, meque inde recepi,
152 Panaque turbatum penitusque per arva reliqui
153 solivagum ; mox, ambigua dum mente reflector,
154 heu ! victum vinctumque gravi sine mora catena
155 prospicio trans stagna rapi, non libera caelo
156 brachia, sed maestae rorantia lumina frontis
157 tollentem, ac tales jactantem in nubila questus :
158 "Cernitis haec, Superi, seu quidnam intervenit umbrae ?
159 Caeca rotat fortuna fidem, regit omnia fatum ! "
MULTIVOLUS
160 i ; nunc in rebus spem certam pone secundis.